

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica III. adventus

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

nistri audivit : Surge Rex, & age curam negotiorum tuorum ! extemplò ille surrexit. Idem tibi observandum, mi Christiane. Si tibi à verbi Præcone, qui curam salutis tuæ agit acclamatur, surge ! evigila ! ut statim exurgas à mortuis, qui dormis, Eph. 5. v. 14. & salutem tuam cum timore & tremore opereris, Phil. 2. v. 12. Nam ab hoc momento pendet æternitas, quod virgines fatuæ suo damno expertæ sunt, Matt. 25. v. 12.

III. *Ardeniter ora.* Sic enim Servator : Vigilate itaque omni tempore, orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

Hoc pernecessarium est. Vivimus enim in mundo, qui juxta Lutherum nihil aliud est, quàm stabulum pessimorum hominum, & licet summa curâ provideamus nobis, facilè tamen fieri potest, ut à Diabolo per concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis & superbiam vitæ inescemur, & ita naufragium salutis faciamus, 1. Tim. 1. v. 19.

Ideò subindè cum Ecclesiâ precemur :

Tentationem ne feras,
Cum nos malignus Satanas,
Captat sinistrè, dexterè,
Da fortiter resistere,
Firmâ cataphractos fide,
Sanctique Spiritus ope.

Item :

Me mundus en ! mendaciis,
Vafriisque fraudulentis


Laceffit atque minis :

Tuere me

Discrimine

A machinis malignis.

Id non frustraneum erit ; multum enim valet deprecatio justî assidua, Jac. 5. v. 16. Ideò ne dubitemus, quin, quæ oraverimus, impetraturi simus, ut vitâ justè, temperanter & piè actâ digni habeamur, stare ante Filium hominis, audientes vocem amabilem : Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum ab exordio mundi. Et ita ibimus in vitam æternam, Matth. 25. v. 34. 46. Quam JESUS nobis omnibus largiatur, Amen.



DOMINICA III. ADVENTUS.

Evangelium Matth. 11. v. 2, 11.

EXORDIUM.

Cum Mosi à numine divino mors intimeretur, de nullâ re ille magis sollicitus erat quàm de Israëlitarum salute, ut in vera & salvifica cognitione illi conservarentur, hinc non modò benedictione eos affecit : sed variis quoque utilibus doctrinis instruxit, quas post obitum suum

observare deberent, Deut. 31. v. 14. seqq. Hoc præclarum exemplum est. Moses geminum munus gessit, fuitque non modò Propheta, sed & Princeps populi Israëliti, ideò meritò ejus curam habuit, quippe qui quâ animam & corpus ipsi concreditus fuit.

c

Sic

Sic adhuc hodie animarum Pastores & Magistratus ovicularum sibi conceditarum rationem habeant, quò illi post obitum quoque salutarium earum admonitionum, quas viventes reliquerunt, memoriam faciant, 2. Petr. 1. v. 15. Plerumque enim accidere amat, ut Leontius dixit: Hac nive liquefacta (canos capitis ostendens) multum erit luti, h. e. varia mala ingruent, tam in Ecclesia, quam Politia. Id variis modis fieri potest. Quandoque enim surgit Rex novus, sicut in Ægypto, qui ignorat Joseph, Exod. 1. v. 8. Sive Diabolus lupos graves mittit, non parcentes gregi, Act. 20. v. 29. idè per opus est, ut illi, quibus inspectio à Deo mandata est, non modò assidue vigilent in vita sua: sed & ordinent, quò post mortem quoque pretiosum verbi salvifici depositum incorruptè conservetur, & ad posteros propagetur.

De Imperatore Theodosio memorat Ambrosius, quod morti vicinus salutem Ecclesie magis quam valerudinem suam curaverit. Sic & Paulus Romæ incarceratus aliquot Epistolas scripsit, ad Galatas, Gal. 6. v. 11. ad Ephesios, Eph. 6. v. 24. ad Philipenses, Phil. 4. v. 23. ad Colossenses, Col. 4. v. 18. posteriorem ad Timotheum, c. 4. v. 22. & ad Philemonem v. 25. idè inquit, quod quamvis affligatur usque ad vincula, quasi malè operans, verbum Dei tamen non alligatum sit, 2. Tim. 2. v. 9.

Egregium quoque hujus rei habemus exemplum in Baptista, qui nihil prius neque antiquius habuit, ubi jam in castello Machero incarceratus fuit, quam ut discipuli sui, qui adhuc vacillabant, ignorantes, cui Messie honorem darent, Christone, an Johanni, in veram viam reducerentur,

& eum agnoscerent, cujus prodromus ille fuerat, idè duos ex illis ad Christum mittit, quæsitum: Tu es, qui venturus es, an alium expectemus? Non quidem propter se, quem id non fugiebat, siquidem Messiam in utero materno saltu præ gaudio salutaverat, Luc. 1. v. 41. baptizaverat, Matth. 3. v. 15. & digitis monstraverat, Joh. 1. v. 29. sed propter discipulos suos, ut ex falsa opinione liberati, clarè perspicerent, se non Messiam esse, sed præmissum duntaxat ad viam Messie parandam. Id quod pluribus in prælectâ Pericope describitur, ex quâ pro instituti ratione meditabimur:

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Caurelam.

J J.

Exegetis.

Mundus hic nil aliud est, nisi vallis lacrymarum, Psal. 80. v. 6. primò ratione peccati, in quo homo non modò concipitur & nascitur, Psal. 51. v. 7. sed sæpè malitiosè volutat se, & hoc ipso temporales & æternas pœnas sibi attrahit, Jer. 2. v. 19. Deindè quoque ratione multiplicis miserie, cui à die exitus de ventre matris, usque in diem sepulture subjecti sumus, Sir. 40. v. 1. Idè triplicem Querelam non incommodè primo loco tractamus ex Evangelio, quam movebit

I. *Piorum opprobrium.* Exemplum habemus in Johanne Baptista, de quo Evangelista refert, quod in vinculis opera Christi audierit. In hanc conjectus fuerat vir integerrimus, non ob malefactum aliquod: sed quia Herodem, qui conjugem suam legi-

legitimā filiam Regis Aretæ repudiaverat, fratris germani Philippi uxore in ejus locum assumptā, quā cum in incestu vivebat, publicè objugaverat, expressè ipsi exprobrans: Non licet tibi habere uxorem fratris tui: propterea Tyrannus excandescens carceri eum inclusit, in quo post annum & tres menses capite truncatus legitur, Marc. 6. v. 18. seqq.

Hanc mercedem pii verbi Præcones semper reportarunt. Quia enim sermo, quem prædicant, est sermo veritatis, Jac. 1. v. 18. qui sine personarum respectu, magnis & parvis, sive audiant, sive negligant, annunciandus est, Ezech. 3. v. 11. facile patet, quod à mundo parùm gratiæ initi possit, juxta Comicum:

Obsequium amicorū, veritas odium parit. Odio enim habent corripientem in portā, Amos 5. v. 10. Hinc exilium Eliæ, 1. Reg. 19. v. 1. seqq. Hinc odium Michæ, 1. Reg. 22. v. 17. seqq. Hinc plagæ & incarcerationio Jeremiæ, Jer. 37. v. 15. c. 38. v. 6. ut plura exempla omittamus.

Idem adhucodiè evenit omnibus iis, qui officio suo fideliter præsent. Neque enim Diabolus melior factus est, sed habet iram magnam, sciens, quod modicum tempus habeat, Apoc. 12. v. 12. Præterea finis mundi magis magisque appropinquat, & quia Christus prædixit, fore sicut in diebus Noë, Matth. 24. v. 38. facile conjicere possumus, veritatem paucis acceptam, multis verò invisam fore, siquidem Spiritui sancto minus tūm obtemperabant, Gen. 6. v. 3. Sic adhuc hodie filii hujus seculi antiquam cantilenam canunt: Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, Esa. 30. v. 10. 11. Quod si verbi Præcones,

conscientiæ rationem habentes, officio suo fideliter funguntur, nil nisi acerbissimum odium pro labore accipiunt, quod sæpè viduæ & liberos eorum sequitur. Id illi & quo animo ferant, & hanc consolatione se sustentent, quod merces sua copiosa futura sit in cælis, Matt. 5. v. 12. Ubi fulgebunt instar firmamenti, Dan. 12. v. 3.

Interea ingratus mundus vel maximè mirandus est, quod viris ejusmodi optimè de se merentibus, tam iniquam mercedem persolvat, & malitiosè in exitiū ruat, quod quidem impunè Deus non relinquet. Qui enim reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus, Prov. 12. v. 13.

Verbi Præcones autem cogitent, ea nunc tempora instare, de quibus Paulus prædixit, quod sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Doctores: idè instent opportunè, importunè, arguendo, increpando, exhortando in omni longanimitate, & doctrina, 2. Tim. 4. v. 2. sicut Johannes adhuc in carcere discipulos suos ad Christum misit. Hoc nisi verbi Præcones fecerint, væ illis, 1. Cor. 9. v. 16.

II. *Mundi judicium.* Id Christus innuit, quando dimissis Johannis discipulis ad populum ait: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam &c.

Hinc colligi potest, Johannem quidem multos auditores habuisse, ut etiam ex Matth. 3. v. 5. constat: Verum non omnes ad discendum, sed ad novellas audiendum & videndum venerant, quod adhuc hodiè fieri amat. Occurrunt enim

1. *Vertumni*, qui circumferuntur omni vento doctrinæ, Eph. 4. v. 14. sicut multos ex Primariis à fide apostatate videmus, non conscientia, sed lucro adacti, quia
Deum

Deum ventrem constituerunt, Phil. 3. v. 19.

Quemadmodum vero arundo ad nihil prodest, nisi ut igni mancipetur & comburatur: Ita leves ejusmodi homines non melior merces manet. Væ inconstanti corde! Sir. 2. v. 14. & seqq.

2. *Delicatuli*, qui mollibus vestiti sunt: ideoque tales præcones exoptant, qui non omnia ad amissim exigant, sed moribus suis sese attemperent, sicut Saul olim dixit, Honora me coram populo, 1. Sam. 15. v. 30. Tales diligunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei, Joh. 12. v. 43.

Quia verò hi reprehensiones Pastorum ferre recitant: ideo Deus ipse tandem caput & caudam disperdit, rimum & truncum depravat, Esa. 9. v. 14. Si enim cum pedibus currens defatigationem sensisti; quomodo contendere poteris cum equis, Jer. 12. v. 5. q. d. Deus: à ferre nequis objuraciones & reprehensiones, quæ verbis fiunt ad emendationem tuam: quomodo sustinebis, quando Satanas potestatem suam in te exercebit, in inferno pœnam daturus, interitum æternum à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Thess. 1. v. 9.

3. *Curiosi*, qui ideo templum frequentant, ut Prophetam videant. Hinc videmus homines certatim confluere, si fortè novus Concionator suggestum adscendat, quem tamen mox post paucas conciones fastidiunt. Cum Christus in deserto turbam cibasset, omnes eum laudibus extulerunt, clamantes: Hic verè Propheeta est, qui in mundum venturus est, Joh. 6. v. 14. sed non multò post tædio ejus capti, ingeminarunt: Crucifige, crucifige, Joh. 19. v. 15.

III. *Frequens offensivum*, quod multos

retahit, ne ad Evangelium convertantur. Id ipsum Christus prævidit, propterea ait: Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

Christi servatoris fortuna miserabilis fuit. Licet enim mater, & pater ejus putativus Joseph è Regiâ Davidis stirpe proguati fuerint: at tamen præ inopia, ut alii plebeji manu sua victum quasi verunt. Natus est Servator Bethlehem in obscuro stabulo, pannis laceratis involutus, cunabulum ejus præsepe, lectus scænum fuit. Quinimò ne alimenta ei deficerent, Magos ex oriente Deus adduxit, qui viatico ipsum instruxerunt, Matt. 2. v. 12. In tenera infantia, ob Herodis infidias, in Ægyptum fugere coactus est. Ex Ægypto remeans parentibus suis subditus, patrique putativo adjutor in opere fabrili fuit. Ministerium inchoans piscatores ad Apostolatam elegit: Publicanos & peccatores convictores habuit, nihil possidens proprii, ex aliorum collatione vitam sustentavit, unde haud abs re conqueritur, Matt. 8. v. 20. Tandem Hierosolyma asino commodato ingressus, non multò post à Judâ proditus, à Petro abnegatus, & à reliquis discipulis derelictus fuit. Judæi eundem & milites velut maleficum ceperunt, illuserunt, flagellarunt, spinis coronarunt, & tandem in crucem sublatum necarunt. In cruce miseris modis à Deo se derelictum conquestus, ab omnibus contumelia affectus, & post mortem alieno sepulchro impositus fuit.

Eecce! hic noster Messias & Dominus est, in quo confidimus. Quid existimatis Dilecti! si nos tempore Christi, ubi in despecta servi forma ille incessit, vixissemus, ane ipsum pro Messia agnovissemus?

Vereor

Vereor sane, ne & nos in ipso scandalizati, dixissemus cum Judæis : Nolumus hunc regnare super nos, Luc. 19. v. 14.

Caveamus proinde, ne externus Ecclesiæ splendor oculos nobis obfuscet, est enim pusillus grex, Luc. 12. v. 32. imo misera, tempestate convulsa absque omni consolatione, Esa. 54. v. 11. Quod ut ex externâ pompâ & Majestate judicanda illa, Turca & Pontifex Romanus palmam illi prætereret. Verum Regnum Dei non venit cum observatione, Luc. 17. v. 20. sed in ostensione spiritus & virtutis, 1. Cor. 2. v. 4.

Licer enim sponsa Christi exterius fusca est, quia Sol tribulationis eam denigravit, Cant. 1. v. 6. attamen omnis ejus gloria ab intus est, Psal. 45. v. 14. Diē novissimo apparebit, quid inter sit, Mal. 3. v. 18. Quando vita nostra quæ jam abscondita est cum Christo in Deo, apparebit cum ipso in gloria, Col. 3. v. 4. Sap. 5. v. 17. Impii contra tristissimam sententiam audient: Abite maledicti in ignem æternum, Matth. 25. v. 4.

De Secundo.

Sequitur nunc Medela, quæ fluit
 1. Ex pauperum Privilegio, de quo Servator : Pauperes evangelizantur, Per pauperes hic non intelliguntur ex Eleemosynis viventes, uti Lazarus, Luc. 16. v. 21. aut alio defectu laborantes, sicut vidua Sareptana, 1. Reg. 19. v. 12. sed omnes mæsti & tentati, qui gravem peccatorum molem in conscientia sentiunt, & nil nisi iram Dei & æternam condemnationem ante oculos conspiciunt. His Christus Evangelium prædicari jussit, quod lætum

est nuncium, de gratuita peccatorum remissione, quam nobis Christus sanguine & morte suâ acquisivit, Joh. 1. v. 17.

Excitare hæc lætitiā in nobis possunt. Nos quoque naturā inopes & miseri sumus. Diabolus per peccata nos corrumpit, nec modò elegantem concreatā justitiæ & sanctitatis ornatum exiit nobis : sed & mortiferis vulneribus adeo nos depravavit ut à plantâ pedis usque ad verticem nihil integrum in nobis inveniatur, Esa. 1. v. 6. Verum per Evangelii vocem nos refocillatōs vivificavit, siquidem ex hac ipsâ causâ est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16.

Cum Noë in arcâ conclusus in magnis angustiis versaretur, dimisit columbam ex arcâ, quæ venit ad eum circâ vesperam, & ecce ramum olivæ decerptum portavit in ore suo. Intellexit ergo Noë, quod cessarent aquæ super terram, Gen. 8. v. 11.

Ramus olivæ denotat Evangelium, sive concionem consolatoriam de Christo, ejusque merito: hoc Christus nos quasi refecit in mundi hujus vesperâ, ut inde colligere queamus, fluctus iræ divinæ cessare nunc, nosque cum Deo reconciliatos esse per Christum, in quo nos gratificavit, Eph. 1. v. 6. Justificati enim fide pacem habemus cum Deo, Rom. 5. v. 1. hæc gratiæ columba etiam Johanni in carcere advolavit, eique jucundum olivæ ramum attulit, ut in carcere opera Christi audierit.

Adhuc hodie dictum Evangelii consolatorium menti tentatæ gratius est super millia auri & argenti, Psal. 119. v. 72. Medicorum & medicamentorum levamen sæpe frustra adhibetur, sicut mulier hæmorrhousa experta, Luc. 8. v. 43. Verbum DEI

autem usus ad animam penetrat, eandem convertens, Psal. 19. v. 8. Quinimo vera panacea est, quæ sanat omnia, Sap. 16. v. 12.

Hinc consolatio redundat in pauperes, quod si corporalibus refectionibus destituantur, sciant illis Christum ipsis optimam medicinam præparasse in Evangelio, quod ipsis prædicari iussit. Hoc enim efficacissima perlarum aqua est, quæ corda nostra roborantur & servantur ad vitam æternam. Hinc Servator ipse Regnum Dei comparat homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.

Inventâ autem unâ pretiosâ margaritâ abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam, Matth. 13. v. 46. Hoc de Evangelio intelligendum, quod melius margaritis, & omne desiderabile ei non potest comparari, Prov. 8. v. 11.

2. Ex Ioannis encomio. Abeuntibus enim discipulis, cœpit Jesus dicere ad turbas de Johanne, cujus laudes a deo extulit, ut eum Mosis omnibusque Prophetis longe prætulerit. Illi enim de futurâ gratiâ & Christo incarnando prophetaverunt, 1. Petr. 1. v. 10. Johannes vero digito eum monstravit, dicens: Ecce agnus Dei, Joh. 1. v. 29.

Sine dubio de Johanne tam varia iudicia lata sunt, aulicis præsertim ob liberam *παρρησίαν* eum condemnantibus, & incarcerationem ejus approbantibus. Propterea Christus ipse præclaro eum encomio mæstat, ejusque innocentiam publicè asserit. Hæc laus magnæ ipsi gloriæ est. Non enim, qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Dominus commendat, 2. Cor. 10. v. ult.

Inveniuntur *φιλαυτοι*, qui dona sibi a Deo concessa satis admitari nequeunt, hinc inanem gloriam ab aliis captant, imaginantes sibi, cum morte suâ interitum sapientiam, Job. 12. v. 2. hinc cristas tollunt, dicentes: Nos poma natamus, Zeph. 2. v. 15. Verum optime in eos quadrat, quod Cato dixit:

Necte culpabis, nec te laudaveris ipse,

Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Hinc Salomo: Laudette alienus, & non os suum, Prov. 27. v. 2.

Genuini Christiani Johannis vestigiis insistant, seque laude dignos exhibeant, nec deerunt, qui laudent eos. Si non in præsentem mundo, certè die novissimo fiet, ubi laus cuique erit, qui eandem meritis est, 1. Cor. 4. v. 5.

3. Ex oraculo prophetico, quod Servator ad Johannem applicat, inquit: Hic est, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum, ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam antere.

Hæc verba desumpta sunt ex tertio cap. Malachiæ, qui teste Luthero, omnium Prophetarum postremus fuit, nec multo ante Christi nativitatem docuit.

Vox Græca *ἀγγελλον* nuncium sive legatum significat, qui eo fine mittitur, ut ore tenus quicquam annunciet. Ejusmodi nuncius fuit Baptista, qui Judæis lætum illud nuncium attulit, quod Messias incarnatus sit, & Regnum Dei appropinquaverit, Matth. 3. v. 2.

Hoc vero titulo non Johannes duntaxat sed & omnes Ecclesiæ ministri in Scriptura infi-

infigniuntur, qui legatione pro Christo funguntur. Vide Mal. 2. v. 7. Esa. 33. v. 7. Eccl. 5. v. 5.

Ita appellantur illi propter officii præstantiam. Quemadmodum enim S. Angeli mandatum Dei fideliter expediunt, tanquam servi & apparitores ejus, Psal. 103. v. 20. Sic & fideles verbi Præcones servi Domini sunt, qui stant in domo Domini, in atrii domus Dei nostri, Psal. 134. v. 1. 2. annunciantes auditoribus suis omne consilium Dei, de salute sua, Act. 20. v. 27. ut sciant quid sit bonum, & quid Dominus requirat à se, Mich. 6. v. 8.

Hoc consolationi inservit

1. *Pastoribus.* De Ambrosio refertur, quod Angelus veste candida amictus, eundem brachiis amplexus penes eum in suggestu steterit. Idem hodieque accidit. Verbi ministri Diabolo ejusque asseclis sudes in oculis sunt: qui ob flagitia & peccata reprehensi, variis technis illis insidiantur, & operosi sunt in operibus injuriæ, Sir. 10. v. 6. Verum hoc ipso minime terreantur: Angelus enim Domini castra metatur in circuitu timentium se, Psal. 34. v. 8. 2. Reg. 6. v. 16.

2. *Auditoribus.* Quando Deus in V. T. Angelum ablegavit ad homines: id pro singulari gratiæ signo habuerunt. Ita ingens Dei beneficium est, quod ille ad Ecclesiam suam Angelos mittit, qui nos à recta calle aberrantes in viam reducunt in eremo mundi hujus, ut Hagar, Gen. 21. v. 4. Ideo rogemus eum ut hanc gratiam porro quoque continuare dignetur: donec accedamus aliquando ad multorum millium Angelorum frequentiam, Hebr. 12. v. 22. concinentes cum iisdem elegantissimum illud $\tau\epsilon\lambda\epsilon\sigma\alpha\gamma\iota\omicron\nu$, Esa. 6. v. 3.

De Tertio.

Superest Cautela, quam tribus absolvens Regulis, quarum

1. *Christum inquire.* Id nos Joannes exemplo suo docuit. Mittens enim ad Christum duos ex discipulis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectemus? q. d. Tune es promissus mundi Messias? Gen. 3. v. 15. Tune es semen Abrahæ, Gen. 12. v. 3. Schilo, Gen. 49. v. 10. magnus ille Propheeta, Deut. 28. v. 15. filius Davidis, 2. Sam. 7. v. 12. filius virginis. Esa. 7. v. 14. Princeps pacis, Esa. 9. v. 6. Dux Bethlehemiticus, Mich. 5. v. 2. Desiderium gentium, Hagg. 2. v. 8.

Hæc quæstio magni momenti fuit, ratione discipulorum ejus, qui hinc in errore versabantur, majoris facientes Præceptorem suum, quam Christum ipsum, ideo quo scrupulum hunc illis eximeret, eos ad Christum, miraculatum occupatum misit, ut ex verbis & operibus ejus deprehenderent, quis Messias, & quænam officii ejus ratio esset?

Nos exemplo ejus instructi, operam demus, ut curæ nostræ concreditos, Christo adducamus, quo in agnitione ejus indies crescant, hæc enim vita æterna est, Joh. 17. v. 3. Joh. 8. v. 24.

Notent hanc Regulam

1. *Docentes,* ne propriam gloriam quærant: sed Auditores suos unice ad Christum relegent, extra quem non est salus, Act. 4. v. 12. Hinc Paulus: 1. Cor. 2. v. 2. 1. Cor. 3. v. 11.

Discipuli à Christo ad adducendam animam missi, non ipsi vehebantur super illa, sed Christo eam adducebant, eum de super sedere

federe facientes, Matth. 21. v. 7. Ita Doctores auditores suos Christo adducere debent, ut à spiritu ejus se regi sinant. Qui enim Christi spiritum non habet, non est ejus, Rom. 8. v. 9.

2. *Regentes*, ut non modo ipsi filium osculentur, Psal. 2. v. 12. & Evangelio portas elevent, quo gloriæ Rex introëat, Psal. 24. v. 7. sed & subditos Christo adducant, ita ut cultum ejus promoveant, & curent, quò Ecclesiis & Scholis ritè constitutis pueri in pietate crescant, velut arbores justitiæ, plantatio Domini, ut glorificetur, Esa. 61. v. 3. Ideo nutricii & aurices Ecclesiæ appellantur, Esa. 49. v. 23.

3. *Parentes*, ut non modo eò incumbant, quo filii suis thesauros colligant: sed de eo imprimis solliciti sint, ut ad Christum delari, ad ejus gloriam educantur, exemplo Abrahami, Gen. 18. vers. 19.

Id magno honori Parentibus erit, quando aliquando coram Deo stare possunt, dicentes: Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Dominus, Esa. 8. v. 18. Quibus Dominus respondebit: Euge bone serve, Matth. 25. v. 23.

2. *Scandalum cave*. Hic audimus Servatorem dicentem: Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

Scandalum potissimum duplex est: primo *datum*, quando falsâ doctrinâ vel vitâ impiâ proximo offendiculum præbemus, quo ipso ad malum incitatur. Vocatur aliàs *Activum*: quia scandalizantis actio proximum ad mala seducit.

Secundo *Acceptum*, quando in eo offendimur, ubi nulla scandali ratio subest: sicut Pharisei & Scribæ in Christi Personâ doctrinâ & miraculis offendebantur, quæ tamen merito accipere, & magni facere debuissent. Vocatur à Scholasticis scandalum passivum, quia in eo occurrit scandalizati passio, quâ proximus sine culpâ alterius Diaboli instinctu, scandalizatur, & ad peccatum adducitur.

Utumque declinemus oportet. 2. Cor. 6. v. 3. Væ mundo à scandalis, Matth. 18. v. 6. sed & caveamus, ne Christus nobis fiat lapis offensionis, qui per se positus est in salutem & resurrectionem multorum in Israël, Luc. 2. v. 34.

Noli offendi in Christi Personâ velut Judæi, quod ille in magna inopia in terris natus, vixit & mortuus est. Humilitate enim sua expiavit superbiam nostram, obedientia inobedientiam, pauperie sua nobis peperit cælestes divitias.

Noli offendi in doctrina ejus, quæ rationi adversatur, ideoque à sapientibus hujus despicitur. Est illa & manet æterna veritas, adversus quam portæ inferorum non prævalebunt, Matth. 16. v. 18.

Noli scandalizari Sacramentis, sed in captivitate redige intellectum tuum, in obsequium Christi, 2. Cor. 10. v. 5. Qui enim dixit: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, Accipite & bibite, hic est sanguis meus: ille præstabit quod promisit, licet modum, quo fiat, comprehendere non possimus, novit enim facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus, Eph. 3. v. 20.

Ne

Ne offendaris Ecclesia ejus, quod populus pauper & egenus, Zeph. 3. v. 12. & pusillus grex, Zach. 12. v. 32. & præterea tantis tribulationibus obnoxia est. Sponsa non opimiorem fortunam desiderare debet, quam sponsus. Dispono vobis Regnum, sicut mihi Pater meus disposuit, Luc. 22. v. 29.

Ne scandalizeris in vili verbi Præconum Persona, quod infirmi homines sunt, portant enim Theaurum Evangelicæ veritatis in vasibus fictilibus, 2. Cor. 4. v. 7. & pro Christo legatione funguntur, 2. Cor. 5. v. 20. qui ipsos audit Christum audit, & qui ipsos spernit, Christum spernit, Luc. 10. v. 16. grave illis erit adversus stimulum calcitrare, Act. 9. vers. 5.

3. *Voluptatem fuge.* In præsentem Evangelio audimus, Servatorem cum molibus & delicatulis, qui voluptati se dedunt, & carni nimium indulgent, non adeo contentum esse, quale exemplum Christus in divite Epulone proponit, Luc. 16. v. 19.

Eo abstinendum est, & ita carnis cura habenda, ne transeat ad desideria, Rom. 13. v. ult. Ante omnia vero animæ rationem habeamus, ut eam ab hoc seculo immaculatam custodiamus, Jac. 1. v. ult. Mundus enim transit & concupiscentia ejus, 1. Joh. 2. v. 17.

Qui in ædibus ruinam minitantibus ha-

bitant, & à prætereuntibus monentur, ut periculo se subducant, non diu tergiverfantur, sed salvant se & facultates suas, ne forte damnum & vitæ & fortunarum pariatur.

Et nos in ædibus ruinosis habitamus: mundus ejusmodi domus est, Deus vero quotidie per ministros suos prædicit nobis, quod mox ruitura sit, eccur igitur tam stolidi sumus, ut diligamus eam. O dilecti, tempus breve est, reliquum est, ut qui habent uxores &c. 1. Cor. 7. v. 79. seqq.

Mulus Absolonis perferrebat ipsum utque ad condensam quercum: pendente vero Domino ejus de quercu, & capillis suis inter cælum & terram hærente, pertransibat mulus, cui infederat, donec Joab advēturiret, & tribus lanceis cor ejus trajiceret, 2. Sam. 18. v. 9. seqq. Ita mundus amatoris suos aliquamdiu circumagat, donec terrenis concupiscentiis probe implicati sunt, tum transit, & relinquit impios in peccatis suis pendentes, ut in iis moriantur & pereant. Ideo summa hic cautione opus est. Quid enim prodesset homini &c. Matt. 16. v. 26. Valedicens igitur mundo, in Domino delectare, ille dabit tibi petitiones cordis tui, Ps. 37. 4. & post hanc vitam æternam salutem, ubi anima tua in pinguedine saturabitur, Esa. 55. v. 2. cum Christo inveniens vitam & abundantiam, Joh. 10. v. 11.

Hanc Jesus omnibus nobis largiatur, Amen.

d

DOMI-